

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0040

LOG Titel: Sectio XXXIV. De Urina

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

 SECTIO XXXIV.

DE

 U R I N A.

§. 489.

Sanguini praeter nutritios succos, et humores secretos inquilinos (§. 4.), inertes etiam et superflui latices excrementitii detrahuntur (excrementa vulgo secundae coctionis dicta), iidemque duplicis ordinis: alterum nempe quod perspirando exhalatur, de quo alias diximus: alterum, *lotium* scil. quod in renibus decolatur.

§. 490.

Sunt autem renes *) bina viscera utrinque ad supremam lumborum regionem retro peritonaei paginam laevem posita; paulo complanata; figura tamen

 *) V. AL. SCHUMLANSKY l. o.

aeque ac numero frequentius quam ullum aliud corporis humani viscus varietatibus ludentia *); a vasis pendentia vulgo sic dictis emulgentibus **) [pro partium quas adeunt portione insigni gaudentibus amplitudine]; et sebaceo quasi adipe (§. 485.) suffulta.

§. 491.

Cinguntur membrana propria, eleganter vasculosa; et quodvis eorum, maxime in corpore infantili ex octonis circ. aut paulo pluribus reniculis compositum videtur, quorum quemque iterum septingentis ad octingentas radiis carnofis constare assererat Ferreinus, quos pyramides appellabat albidas.

*) V. GER. BLASII *renum monstroforum exempla ad calcem BELLINI de structura et usu renum*, edit. Amstelod. 1665. 12.

**) EUSTACHII *tabulae I-V*, quae quidem ad classicam EJ. *de renibus tractationem* pertinent: c. rel. summi viri *opusc. anatomicis Venet. 1564. 4. editam. it. tab. XII.*

§. 492.

Ren vero a convexo dorso versus concavam pelvim dissectus seu discerptus duplicem exhibet substantiam; alteram periphericam quam *corticem* vocant, interiori alteram quae *medullae* nomine venit *).

Utraque arteriis venisque scatet sanguiferis; cortex vero praeterea vasis subtilissimis decoloribus **) lotium *secernentibus*; medulla idem *effluentibus*.

Secretorii isti ductus ratione supra descripta (§. 471.) ex arterioliis oriuntur in glomerulos convolutis qui renis corticem inhaerent; et quidem ipsi longe maximam corticis renalis substantiam consti-

*) C. W. EYSENHARDT *de structura renum observationes microscopicae*. Berol. 1818. 4.

**) Ductus hie secernentes FERREINIO imposuisse videntur, ut eos pro novo plane vasculorum genere haberet, quae vasa neuro-lymphatica s. tubulos albos vocabat, quibus in univsum viscerum parenchyma conflatum putabat, et quae tantae tenuitatis esse assererat, ut longitudo eorum quae singulo adulti hominis reni inessent, 10000 orgyiarum, seu 5 leucarum stadium aequaret.

tuunt, et singulari suo anfractuoso decursu facile ab efferentibus s. Bellinianis tubulis distinguuntur, in quos quidem abeunt, qui recta decurrentes via e corticali ista in medullarem substantiam progrediuntur, cuius maximam partem efficiunt, et postquam iterato confluxu in pauciores trunculos coaluerunt, denique ostiis suis *papillas*, renali pelvi contentas, cribri in modum perforant *).

§. 493.

Papillae hae numero plerumque respondent loborum, e quibus singulum renem conflatum esse diximus, et lotium in corticis vasis decoloribus secretum, ac per medullae tubulos Bellinianos ulterius derivatum primo in *infundibula* sua effundunt, quae postmodum in communem *pelvim* confluunt.

§. 494.

Pelvis vero in *ureteres* continuatur, membranaceos canales, maxime sensiles,

*) EUSTACHII tab. XI. fig. 10.

muco interius illitos, valde dilatabiles, in homine plerumque hinc illinc inaequalis amplitudinis *), posticae denique et inferiori vesicae urinariae faciei ita insertos, ut non statim eius parietes perforent, sed adhuc inter membranam eius musculosam et nerveam (quae illibi maiori quoque crassitie gaudent) altius paulo descendant, tumque demum in ipsum eius cavum obliquo ostio hient; qua quidem fabrica maxime cautum est, ne urina quae per ureteres in vesicam destillavit exinde iterum in eos repelli possit.

§. 495.

Ipsa autem lotii *vesica* **), variae pro varia aetate diversoque sexu figurae, in adulto homine plerumque duarum circ. librarum urinae capax est; fundus eius qui in foetu in urachum abit, tum et

*) v. NUCK *adenographia* fig. 32. 34. 35. LEOP. M. ANT. CALDANI in *Saggi dell' accad. di Padova* T. II. pag. 2.

**) DUVERNEY *oeuvr. anatom.* Vol. II. tab. I-IV.

postica facies peritoneo tegitur, quod ad reliquas autem sui membranas in univ-
ersum cum iis quas ad ventriculum
diximus, convenit.

Musculosa quidem taeniis constat in-
interruptis fibrarum carnearum, varia sub-
inde decussata directione (in aliis aliter
se habente) vesicam cingentibus *); de-
trusorem urinae vulgo vocant, orbicula-
res vero fibras cervicem vesicae inique
cingentes inconstantis etiam tam originis
quam figurae, sphincterem appellant.

Nervea et huic membranoso visceri
primarium suum robur impertit.

Intima denique, folliculorum cribro-
forum dives **), maxime ad cervicem
muco est sublita.

§. 496.

Lotium autem in vesicam delatum,
copia sensim molestum fit, et urgens, ut

*) SANTORINI tab. posth. XV.

***) FLOR. CALDANI *opusc. anat.* Patav. 1803. 4.
pag. 4.

de excretionemoneat, cui denique *urethra* tanquam emissarium est destinata, pro sexus varietate diversimode se habens, cuius ideo ulteriorem mentionem ad sexualium functionem enarrationem differamus.

§. 497.

Evacuatur autem vesica superata sphincteris constrictione tum proprii quem diximus detrusoris ope (§. 495.), tum abdominalis preli et respirationis admiculo; quibus denique in viris accedit acceleratorum actio, vel guttas lotii in ipso urethrae bulbo residues adhuc eiaculantium.

§. 498.

Quod vero ipsius *urinae* indolem attingit, infinitis quidem modis ea ludit *) respectu aetatis, item tempestatis, maxime etiam temporis brevioris aut longioris quo post partum et potum prae-

*) V. HALLE' in *Mém. de la Soc. de Médec.* Vol. III. p. 469 sq.

gressum mittitur, tum et qualitatis ingestorum *) etc.; in universum tamen si lotium spectes adulti sani hominis, post somnum quietum recentissime missum, aquosus est latex odoris nidorosi, coloris citrini, quas quidem qualitates proprias, peculiari materiae uricae debet, praeter quam vero copiosissimae qua dilutus est aquae tanquam communi vehiculo multifaria alia, et proportione in aliis aliter se habentia, insunt elementa **).

*) Et haec quidem ingestorum quorundam qualitates specificae tam subito in urina se manifestant, dum interim sanguis, simul e vena missus, nihil earum exhibet, ut hinc vias lotii, praeter illas quas diximus publicas, alias quoque clandestinas, statim ex alimentario tubo ad organa uropoietica tendentes, suspicari sint physiologi, quarum censuram exhibent AUG. H. L. WESTRUMB commentat. (praemio Regio ornata) *de phaenomenis, quae ad vias sic dictas lotii clandestinas demonstrandas referuntur.* Gotting. 1819. 4.

et P. G. C. E. BARKHAUSEN diss. (palma secundaria ornata) *de viis clandestinis urinae* Berol. 1820. 8.

**) vide FR. STROMAYER *theoret. Chemie* T. II. pag. 609.

Eminet in his insignis quantitas acidi phosphorei quod quidem aliis elementis et partibus constitutivis urinae nuptum sodam phosphoratam, ammoniacum phosphoratum, et calcem phosphoratam exhibet; praesertim autem peculiari plane acido, urico inquam s. lithiaco, scatet quod lotio proprium in nullo alio corporis humani humore, repertum est *).

*) cf. de analysi urinae, post alios, BERTHOLET in *Mém. de l'ac. des sc. de Paris* a. 1780. p. 10.

TH. LAUTH (prael. SPIELMANN) *de analysi urinas et acido phosphoreo*. Argent. 1781. 4.

H. FR. LINK *commentatio* (praemio regio ornata) *de analysi urinas et origine calculi*. Gotting. 1788. 4.

FOURCROY in *Annales de chimie* T. VII. pag. 180. et T. XVI. p. 113.

C. FR. GAERTNER *observata quaedam circa urinas naturam*. Tubing. 1796. 4.
